

Stephanus Galdeti

*Positio Carmelite de
prescientia futurorum*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
12.08.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Positio Carmelite de prescientia futurorum.**

Si Deus presciat infallibiliter A futurum et Sortes per assumptum creatum, tunc si non eveniret, iudicium Sortis foret error. Et de Deo esset verum quod non esset verum iudicium, ymo nec iudicium, ymo
5 nec unquam fuit iudicium.

Utrum ineffabile primum esse prescire valeat omnia nunc futura.

Prima conclusio: quamvis nullum nunc futurum in se realiter sit presens ineffabili primo esse, stat tamen quod ab ipso immediate est cognitum quodlibet tale nunc futurum esse. Prima pars probatur, quia
10 nullum nunc futurum esse in se realiter existit, aliter non esset futurum, igitur nec in se realiter alicui est presens. Secunda pars patet per MAGISTRUM, libro 1, distinctione 35, qui ponit quod “Deus quodlibet tale perfectissime cognoscit, igitur intuitive, cum omnis intuitiva sit perfectior abstractiva”.

15 Ex hac conclusione inferuntur tria corollaria. Primum ad questionem responsum, quod ineffabile primum esse valet prescire omnia nunc futura.

Secundum, quod ex rei notitia intuitiva non infertur formaliter eiusdem rei in se presens existentia.

Tertium, quod aliter coexistunt Deo presentia quam futura.

20 Secunda conclusio: quamvis ineffabili primo esse contingentia nulla sit intrinseca, stat || tamen quod nunc futura sunt ab ipso contingenter et libere precognita. Prima pars patet, quia ipsum intrinsece est summe necesse esse necessitate immutabilitatis absoluta que omnem excludit contingentiam, igitur. Secunda pars patet, quia futura contingentia ab
25 ipso ineffabili esse possunt numquam poni in esse, et sic possunt non esse futura, et per consequens ab ipso non cognosci esse futura.

Ex ista conclusione infero tria corollaria. Primum quod cognitione simpliciter necessaria aliqua possunt contingenter esse cognita. Patet.

Secundum quod nunc futura possunt numquam fuisse futura.

30 Tertium quod cum cognitione simpliciter necessaria stat rerum cognitarum contingentia. Patet ex conclusione.

Tertia conclusio: quamvis ineffabili primo esse creaturam in notitia equari sit impossibile, stat tamen creaturam nunc futura intuitive posse

P2 37r

1 positio — futurorum] *in marg. sup. P1* 2–5 si Deus — fuit iudicium] *in marg. sup. P1* 7 prima conclusio] *iter. in marg. P1* 9 esse] probatur prima
add. *sed del. P2* quia] *an add. sed del. P2* 15 tria corollaria] corollaria tria
add. *in marg. P1* 20 secunda conclusio] *iter. in marg. P1* 22 quia] *p. c.*
sup. lin. P2 ; per *a. c. P2* ipsum] *quia add. sed del. P2* 27 tria corollaria]
iter. in marg. P1 29 nunc] *numquam P2* 30 stat] *re quo add. sed del.*
P2 32 tertia conclusio] *iter. in marg. P1* 33 impossibile] possibile *P2*
intuitive] intuitiva *P2*

cognoscere. Prima pars non est dubia. Et secunda probatur, quia de facto anima Christi, que creatura est, cognoscat futura, ut patet per MAGISTRUM libro 3, distinctione 14, et non nisi intuitive, cum illa cognoscat in verbo.

- 5 Ex hac conclusione infero tria corollaria. Primum quod quelibet creatura seu creata anima proficere potest in rei cognite notitia. Patet, quia cuiuslibet talis anime notitia est minor notitia, notitia primi igitur est finita, igitur potest augeri. Secundum, quod beata anima Christi potest proficere in rerum notitia, probatur ut precedens. Tertium, quod
10 nulla creatura potest esse inifinta. Patet, quia in nullo creatura potest equari creatori, ut dicit probatio prime partis conclusionis.

Hec de illa positione.

3 libro] primo distinctione *add. sed del. P1* non] *p. c. P2* **5** tria
corollaria] *iter. in marg. P1* **11** conclusionis] *et add. P2* **12** positione] *et*
cetera *add. P2*